B. . Bancandi . S.

1.a
4096

COTELERII PATRES APOSTOLICI.

II. Voll.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

SS. PATRUM,
QUI TEMPORIBUS
APOSTOLICIS
FLORUERUNT,
BARNABÆ, CLEMENTIS, HERMÆ, IGNATII, POLYCARPI
OPERA, VERA, ET SUPPOSITICIA;

Unà cum Clementis, Ignatii, Polycarpi Actis atque Martyriis.

J. B. COTELERIUS

SOCIETATIS SORBONICÆ THEOLOGUS,

Ex MSS. Codicibus eruit, ac correxit, verſionibuſque & notis illuſtravit.

ACCESSERUNT, IN HAC NOVA EDITIONE,

Notæ integræ aliorum virorum Doctorum, qui in ſingulos Patres memoratos ſcripſerunt, & quorum nomina in Præfatione habentur; item GULIELMI BEVEREGII Codex Canonum Primitivæ Eccleſiæ vindicatus, JACOBI USSERII Diſſertationes Ignatianæ & JOAN. PEARSONII Vindiciæ Epiſtolarum S. IGNATII atque alia, de quibus in Præfatione.

Recenſuit & Notulas aliquot ſuas & aliorum adſperſit

JOANNES CLERICUS.

EDITIO ALTERA

Auctior & adcuratior.

VOLUMEN PRIMUM.

AMSTELÆDAMI,

Apud R. & G. WETSTENIOS.

M. DCC. XXIV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

REVERENDISS. ATQUE ILLUSTRISSIMO
PRAESULI
GULIELMO,
DIVINA PROVIDENTIA,
ARCHIEPISCOPO
CANTUARIENSI,
TOTIUS ANGLIAE PRIMATI ET METROPOLITAE, SERENISS. MAGNAE BRITANNIAE
REGI
A SANCTIORIBUS CONSILIIS
S. P. D.
JOANNES CLERICUS.

HAEC à me iterata Editio *Patrum Apoſtolicorum*, aut nemini, aut Tibi, REVERENDISSIME PRAESUL, conſecrari debuit; quippe qui ſingularia ad eam exornandam auxilia, ſingulari prorſus comitate, contuliſti. Tibi debent non ego tantùm, ſed & alii omnes, Antiquitatum Eccleſiaſticarum amante, Collectiones duas variarum Lectionum, quibus prior Editio carebat. Altera eſt PASTORIS HERMAE adcuratiſſima collatio, cum vetuſto Codice Lambethano; quæ non ſatis diligenter curata fuerat ab eo, qui antiquiſſimum hoc Opuſculum Oxonii, anno M DC LXXXV. in lucem emiſerat. Altera verò eſt Collatio *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, cum duobus Codd. MSS. Cæſareæ Bibliothecæ Vindebonenſis, quam, ut & priorem, pro eximio Tuo Antiquitatum Chriſtianarum ſtudio, perbenignè mecum communicaſti. Nihil ergo æquius erat, quàm Editorem horum Vetuſtatis monumentorum Tibi gratias agere, ILLUSTRISSIME PRAESUL, in fronte ipſa Voluminis, ob ſuppetias haſce, cùm diſpiceret numquid eſſet, quo ornari poſſent, ad ſe miſſas; quod nunc ex animo facio, cupióque omnibus iis innoteſcere, qui occultant id quo poſſet Antiquitas Eccleſiaſtica illuſtrari; quo pravo inſtituto factum eſt, ſine dubio, ut multa præclara Veterum opera tandem penitus interierint, aut certè numquam in lucem eâ, quâ par erat, curâ prodierint.

SYLLABUS EPISTOLARUM

Ad Patres Apoſtolicos, eorúmve Interpretes pertinentium.

I.

Epiſtola Reverend. in Chriſto Patris WILL. LAUDI, Arch. Cantuar. & totius Angliæ Primatis, ad Virum Clariſſ. HUGONEM MENARDUM, Monachum Benedictinum.

HUGONI MENARDO

Salutem in Chriſto.

Literatiſſime vir, gratæ fuerunt mihi valde Literæ tuæ, quas unà cum Epiſtola (ut dicitur) *Barnabæ*, & lucubrationibus tuis adnexis, accepi. Benevolentia veſtra erga me, neſcio unde orta, pergrata eſt; is tamen non ſum, qui illud nuſum in me ſuſciperem, quod & in Litteris privatis, & præcipuè in Epiſtola dedicatoria adſcribis; & calamo (ut mihi videtur) uberiori quàm par eſt. Poſt gratias itaque tibi, vir Docte, repenſas; breviori ſerſan ſtylo, quàm exſpectas, ſed meo; & quo uti neceſſitas & negotiorum moles cogit, hæc pauca dicam.

Barnabæ Epiſtolam ſatis antiquam agnoſco, non canonicam. Hoc apertè à te dictum vellem, ne auctoritatem adſcribendo huic nomini celebriori parum confirmatam, ſimul & nomini & auctoritati injuria fiat; quin & tibi ipſi aliqua, quaſi hoc neſcires. Quo minùs autem credam hæc *Barnabæ* ſcripta & genuina eſſe, hæc ſunt quæ impediunt.

1. Numeralis illa Theologia, ſive ſcientia trium litterarum I.H.T. (ut loquitur) mihi non placet. Nam etſi neſcius non ſum, ſcriptores ſatis & antiquos & celebres (*Tertullianum*, *Clementem Alexandrinum*, *Irenæum* & alios) in ea ludere aliquando, tamen non ſapit ſpiritum Apoſtolicum.

2. Non magis mihi arridet illa Judaïca Deuteroſis, quam *Barnabas* hic arripuit, de ſex mille annis Mundi, de qua nec D. *Paulus*, S. *Barnabæ* conjunctiſſimus, nec quiſquam alius Apoſtolorum ſomniavit, (appropinquare potiùs diem Domini ubique prædicant) nec *Hydaſpes*, aut *Triſmegiſtus*, vel *Sibyllæ* id poſſunt efficere, ut fides huic detur.

3. Vel ingens admittitur ἀναχρονισμὸς in hac Epiſtola, aut auctor non eſt *Barnabas*. Loquitur enim apertè de Exſcidio Hieroſolymitano, quod poſt mortem Barnabæ accidit. Nec ſufficit dicere, quod in Adnotationibus adjicis, ſpiritu prophetico & prævidente, & ſic de re futura, quaſi jam præterita, pronunciaſſe hæc ſcripſiſſe *Barnabam*; principii enim hæc petitio eſſet, nempe, utrum hanc Epiſtolam, aliſve aliqua ſcripſerit Sanctus *Barnabas*, ſpiritu prophetico.

Ad Adnotationes veſtras quod attinet, doctis quidem & eruditæ: quas vis (ſic enim ſcribis) ut aliquid meorum admiſceam, loquar eadem libertate, quam ipſe tibi vindicas. Quædam explicanda, quædam corrigenda ſunt, ſive Critica ſpectes, ſive Theologica. Quin & properante calamo aliquid excidit, quod hîc apud nos viri doctiores non nimis approbant, ne quid gravius dicam. Quin & agitavit multa *Barnabas* hîc; quibus animos incautos facilè perculeret; quæ tamen ne levi digitulo tetigiſti ad cicatricem obducendam; cùm apud nos non pauci ſint, qui nova moliendi quamlibet anſam arripere avidiſſimi ſunt. Qualia ſunt, fuiſſe Eccleſias iſtis ſeculis incognitas; priuſquam ad Conſtantini tempora veneris, non comparentes. Denique Templis non manufactis habitare Dominum, & ſimilia; quæ fluctuanti populo aut non proponenda, aut non ſine Antidoto.

Alia fortè ſunt ſtrictiùs adhuc perpendenda, ſed & alia circa me ſunt curæ de hac re conſideratione, & à libris ipſis & eorum uſu penitus avocarunt. Hæc tamen ſummatim (negotiis licèt penè obrutus) ſcribere in animum induxi meum, ne benevolentia veſtra in ingratum tibi videretur incidiſſe. Breviter itaque hæc velim; ut aut ipſe accuratiori filo rem totam perpenderes; & in hunc finem, ſi placet, chartulas tuas remittam, per manus honoratiſſimi viri Domini Scudamore, nuperrimè ad Regem Chriſtianiſſ. legati, qui eas mihi reddidit; aut, ſi viſum fuerit, Chirographum à te exſpectabo, quo opus hoc mihi vel Capellanis meis ſubmittas, ut quædam vel reſtringantur, vel addantur, priuſquam in lucem prodeat; & utrum horum tibi placuerit, factum dabo. Epiſtolæ verò dedicatoriæ, quam vis perlegi, nomen meum conjicis laudes, & earum ne ipſe apud me conſcius ſum. Nec modeſtia id pati poteſt, ut hiſce tuis meo auſpicio, laudes propriæ prelo mandentur. Itaque ſi poſt paulò attentiorem hujus Epiſtolæ culturam, eam cum Adnotationibus, nomini meo dicatam, vis in lucem prodire: neceſſe erit Dedicatoriam planè aliam facere, aut eam ibi apud vos excudere, etiamſi opus ipſum hic apud nos publicum fiet [illegible] quo arrogans audire velimus. Hæc breviter ſunt, quæ dicere volui, potuive, in anguſtiis illis & temporum & negotiorum, in quæ conjectus ſum. Quæ, obſecro, eodem animo accipias, quo ſcripta ſunt & ſi quæ non placent, aut dictis fatua tibi videntur, ea aut non mihi, aut ſaltem non niſi mihi implicato placeat adſcribere. Vale, meque inter tuos reputa.

E Ædibus meis Lambethanis Jul. ultimo 1639.

Tibi Amiciſſimum
W. Cant.

Epiſtolam hanc perhumaniter mecum communicavit Præſulum decus Willelmus Sancroftus, totius Angliæ Primas.

PAULUS COLOMESIUS.

Hic erat Excerptum Epiſtolæ A. V. Hieron. Bignonii ad Hug. Grotium, quod mihi legitur ante Epiſt. 1. Clementis, ubi quærendum.